

INNOCUUS CRUOR  
TYRANNIDIS  
VINDEX

---

*LUDIS AUTUMNALIBUS*

PRO

SOLENNI PRÆMIORUM DISTRIBUTIONE

IN SCENAM DATUS

A

SEMINARIO

SS. ANGELORUM CUSTODUM

POLLINGÆ

ANNO MDCCLXIV.

*Secunda & Tertia Septembris.*

D. Frigidiano Geminiano  
Canon. reg. Bolling  
Eiusq.  
Munere.



## ARGUMENTUM.

Joanne I. Papa in carcere ærumnis confecto, THEODORICUS Gothorum Rex, tunc rerum Romæ potitus, nullóque Marte à Secta Arriana dimovendus, vinculis primùm, dein neci dedi jussit duo Clarissima Romani orbis Lumina: Anicium Manlium Severinum *Boëtium* videlicet, & Quintum Aurelium Memmium *Symmachum*. Quorum ille Symmachi Gener, utpote cujus Filiam, Rusticianam nomine, duorumque filiorum Matrem, matrimonii foedere sibi junctam habuit, nec non Philosophus optimus, Theologus disertissimus, ac Senator integerrimus apud neminem non hodieum audit. *Symmachus* verd, copia auri argentique abundans, vir erat & Genere & Fama clarissimus, atque, ut ab ipso Boëtio dicitur, pretiosissimum mundi decus. Ambo, Consulatus dignitate perfuncti, æquitati impensè studuere. Postquam autem ad ingentem gloriam evaserunt, deterrimos quosque in sui invidiam concitârunt; hinc perduellionis rei (acsi Justinum Imperatorem, bubulco quidem satum, attamen Catholicis partibus oppido addictum, adversus THEODORICUM clam ad arma vocâssent) falsò accersiti, causam strenuè agebant coram Rege; sed omnia agendo nihil egerunt. Nam Rex, in furorem actus, nec Rusticianæ, nec geminæ ejus Sobolis, nec ipse etiam Amalafunthæ Augustæ, siue tenelli Nepotis ac Regni Hæredis Athalarici potentissimis precibus ad saniora leniorave consilia flectendus, capite utrumque damnavit infontem. Securi percussos *Boëtium* & *Symmachum* vix spiritus & Sanguis liquit, cum & horum innocentia cunctis inaudito prodigio innotuit (Boëtio rescissum caput propriis manibus sustentante, proximumque ad Templum deferente) & Tyrannus INNOCUUM CRUOREM suæ TYRANNIDIS VINDICEM sensit. Cœnanti quippe THEODORICO cum miræ magnitudinis piscis caput illatum esset inter fercula, visus sibi conspicere est Symmachi, recens se jubente interfecti, caput, labia sua admordentis, sibi que furioso intuitu minitantis. Tanto horrore concussus est Rex, ut, rigentibus præter morem artubus, in lectulum delatus, nec prius furere quàm vivere desierit. *Procop. De Bello Goth. L. I. c. 1. p. 310. & Acta Sanct. 27. Maji.*

*Scena figitur Ravennæ antiqua Regum Gothorum Sede.*



## Protasis Musica.

LYCAON Arcadiæ Rex, percepto Jovis adventu, illius exploraturus Divinitatem, ex duorum de Gente Molossica obsidum, quos interfici præceperat, carnibus illi mensam parat.

### PERSONÆ.

Lycaon. Præfectus carceris. Chorus Aulicorum Lycaonis.

### CHORUS.

1.

Triumphæ, júbila,

Majestas regia!

Explevit strenum

Sic officium:

Mutila pendet, En! undique Ness. Media vive in morte, ô Rex!

2.

Lustra jam ebrius

Sanguine oculis

Tua domesticæ

Signa victoriæ

Lycaon. Placent vestra pro me studia:

Placent, fanguineis

Suffixa tholis,

Potentia hæc meæ anathemata:

Dignius certe istis haud alia

Régiam hanc meam ornant peristromata. - - -

Verùm quid audivimus?

Jovi hodie ad nos invisere est animus. - - -

Eja Illustrissimi

Academiae Lycaoniæ Anatomici!

Nova, ut puto, jam victima mactanda,

Indeque illi feralis Coena paranda. - - -

Quem



Præf. Carc. Quem tu nobis hic hospitem? -  
 Nostrum profecto hoc nuncio recenter titillas chalybem. - -  
 Bene est: - - Sunt nobis bini, quos stringunt compedes,  
 De Gente Molossorum obsides: - -  
 Hos si illi immolabis,  
 Famelicum hunc Deum vel levi faginabis.

### A R I A.

1.

Qua morte captivi hi cadant?

Dic tantum! nam nullam evadant:

Vis? perimam ense, an telis?

Dic! frisos, elixos num velis?

Jubes farcimina?

En! horum ilia

Dabunt hæc: impera, quod vis! & fit. Faciam: ne quid cruentum non sit.

2.

Vis? truncos ut siccet caminus:

Accensa vel torreat pinus?

Vis? illos membratim concidam?

Aut cerebrum prius elidam?

Vis? scyphos sanguine

Impleam? annue!

Lycaon.

Tuo hæc omnia

Relinquo arbitrio accidentia:

Quid putatis autem mei Aulici!

Si Jovem ipsum, Saturni parentis jam semel ereptum stomacho,

Nostro vel ipsi hodie immolaremus Oesophago? - - -

Fuerit plane divinum illius abdomen nobis præ omni obsonio. - - -

Hæretis, video: - - fit: - - & ego alii

Conclusum reservo tempori. - -

Interim juvat humanis carnibus Divinitatem illius explorare:

Nè fraudem gustet; næ mihi illam in æternum non poterit

probare. - -

Vos jussa peragite!

Mactate! jugulate! occidite!

Præf. Carc. Ad nutum paremus, Rex potentissime!

A 3

ARIA.

## ARIA.

*1.*  
*Lycæ. Non est in Cælo Deus,*  
*Vel saltem non est meus,*  
*Hoc credo firmiter:*  
*Si solum scit torve tonare,*  
*Nec tanta, quæ ego, patrare,*  
*Est Vappa, fungus, stolo;*  
*Fisittio in polo*  
*Est pictus Jupiter.*

*2.*  
*Quis Deum illum laudet,*  
*Qui nihil dignum audet*  
*Et Nomine & spe?*  
*Oh! Deum! quem pleraque latent,*  
*Quæ vili vel homulo patent;*  
*Stat hic jam Dei munus?*  
*O! sic sum quoque unus,*  
*Sum, juro, Deus re.*

## PARS I.

## Theodoricus Rex.

## SCENÆ

- I. Theodoricus, arroganter se jactans, novas expeditiones in Orientem adversus Justinum Imperatorem, ob Generis obscuritatem à se despiciatui habitum, meditat.
- II. Calumniatores de Boëtio & Symmacho, Regis jussu in vincla coniectis, deliberant interficiendis;
- III. Hunc in finem eos, litteris ad Justinum Imperatorem falso compositis, perduellionis reos accerfunt.
- IV. At illi, à Rege in Jus vocati, causæ suæ nequaquam indormiunt; eadem tamen iniquè cadentes, & in arctiorem custodiam traditi
- V. A Rusticiana & duobus filiis inuisuntur, & Patris & Viri miserias miserè plangentibus.

*Saltus*

Somnium Amalafunthæ exhibit.

## PARS

## PARS II.

## Theodoricus Tyrannus.

## SCENÆ.

- I. Amalafuntha Augusta, Regis Filia, spectris territa, præfagit Tyranni calamitatem, de salute Filii Athalarici piè sollicita;
- II. Patrociniò dein Rusticianæ, unà cum gemina sobole supplices ad se manus tendentis, in se susceptò,
- III. Irati Patris animum mollire nititur; sed frustra; ille enim, ambos licet Rusticianæ filios sibi obsides retinens, precibus & Filiae & Rusticianæ, pro Boëtio & Symmacho Supplicantium, repudiatis,
- IV. Reis extrema decernit,
- V. Cum ingenti Calumniatorum gaudio.
- VI. Regio itaque jussu securi percussus Boëtius caput propriis manibus sustentat, & ad altare defert;
- VII. Quo prodigio animatus Symmachus ferali ictu Martyr jungitur Martyri.

*Apodosis Musica.*

Docetur Spiritus Principum à Sapiëntia, illam solam Tyrannidem laudabilem esse, ac verè regiam, quæ in inordinatas animi passiones, non verò in innocentem subditorum vitam exercetur.

## PERSONÆ.

Spiritus Principum. Appetitus Concupiscibilis. Appetitus Irascibilis. Sapiëntia *sub Persona* Tyrannidis. Duo famuli Sapiëntiæ.

*Appet. Conc.* Veni, frater, propius!

Unitis jam agendum viribus:

Cubile ingredimur regium,

In fraterna ibi pace Regis partituri animum. - - -

Sed en! placidissimis adhuc niçtat Morpheo oculis,

Meis paulo ante crapulatus, atque inescatus cupediis.

Insidiæ,

*Spir. Princ.* - - Infidiae, heu me! infidiae!  
*Appet. Conc.* Timorem mitte panicum!  
 Ministrum hic vides utique tibi fidissimum.  
*Spir. Princ.* Video: colligo me.  
 Quid autem suspicer ex tuo hoc Comite?  
*Appet. Conc.* Suspectum nihil; frater enim meus est unicuique,  
 Ad tua quoque hodie obsequia paratissimus.  
*Spir. Princ.* Sint Grates Superis! Adjutore enim, ut nihil magis egeo,  
 Cui felicius, quam tibi in Throno subnitar regio.  
*Appet. Conc.* Quorsum ista, ô Rex? - - Loqueris in somnio.

## ARIA.

1.  
 Quid quereris, Here! de me?

Qui dedi tibi omnia,  
 Quae tua cupit anima:

In fenum pulchram Helenam:

Pro veste Jovis Purpuram:

In cibum Divum fercula:

In potum Bacchi Massica:

Et quereris de me?

2.  
 Hoc merui, Here! de te?

Paravi tibi sylvulas,

Ad capiendas damulas:

Instruxi circos, hortulos,

Ad recreandos oculos:

Pro luxu dedi gravidam

Auro gemmisque Indiam:

Hoc merui de te?

*Spir. Princ.* Fateor: debeo tibi haec, & plura alia;  
 Verum nondum sunt haec complementa Felicitatis meae ultima:  
 Dic! ubi Majestas? ubi Potentia regia?  
 Irrisoribus meis (ut se ipsos vocant) Sardanapali subditis formidanda?

*Appet. Irasc.* Ulcus palpo, ô Rex! tuum. --  
 Uni haec Concupiscibili devovisti animum: --  
 Mitior fuisti, quam oportuit, -- regique nimis parvus gladii;  
 Hinc Regem te esse, & potentem quidem, tui obliti sunt subditi. --  
 Non ita ex hoc: -- si beatus ex omni parte esse vis,  
 Denudato subditis mucrone monstrandum, quis sis.

ARIA.

## ARIA.

1.  
 Surge in Heroes ausus,

Stirpe sate regia!

Inter molles carnis plausus,

Iræ cude fulmina!

Ne inultum quidquam sine!

Fure! scvi. spe sine!

Quodvis verbum futile

Umbram ignominiae

Sanguine

Tu elue.

2.  
 Istud habe hujus ævi

Primo pro principio;

Fungus ero, nisi levi

Malum grande refero.

Si quis oris crudioris

Punctum impetat honoris,

Hunc ad mortem pungito!

Nec rem age alio

Judice,

Quam chalybe.

*Spir. Princ.* Placet Consilium

Facillimum, efficacissimum. --

Ne autem quid perdat temporis, ipsam mihi statim, volo, advoce Tyrannidem:

*Appet. Irasc.* Non moror, ô Rex! novum sibi illa gratulabitur Phalaridem. --

*Sapientia.* Huc citò Socii! -- in hos lurcones

Vestros immergite mucrones!

*Appet. Irasc.* Heu nos! perimus. --

*Spir. Princ.* O Sapientia!

Animæ meae anima! --

*Sapientia.* Quid hoc rei? -- Quis illi talia? --

*Spir. Princ.* Misericordia! Misericordia!

*Sapientia.* Tyrannidem vocasti, non Sapientiam,

Spiritus ferocule!

*Spir. Princ.* Agnosco, detestor dementiam: --

Tantum da mihi te! --

*Sapientia.* Magna est profecto influxus mei efficacia: --

Bene tamen; suum agnoscentem reatum

Non despicio Spiritum contribulatum: --

B

En!

En! Tyrannis adsum; sed sanctior, sed sapientior:  
 Quia in juratos animi tui hostes bella molior. - -  
 Hoc à te jam pridem fieri oportuisset,  
 Si debita regii tui muneris tibi semper cura fuisset.

## A R I A.

<p>1.          Dic! quid est Sapientia? --          Est animorum arbitra;          Hinc jus condendi Leges          Nequaquam facit Reges:          Qui dominatur populo,          Et suo simul animo,          Hic tandem, hic est Rex,          Hunc suus amat Grex.</p>	<p>2.          Sunt passiones animi          Domestici latrunculi:          Vim tuam vis probare?          Has incipe mastare!          Ne forte te conficiant,          Fac, illæ prius occidant.          Tyrannus esse vis?          His, his Tyrannus sis.</p>
--	--

Agite jam Socii! quod scitis velle me: --  
 Spolia his sua eripite!  
 Ut ostendam per hæc ipsi, quam deceptus sit miserè. - -  
 En! Cor, quondam saltem tuum, quod nimia  
 Tibi rapuit, ac pæne decoxit Concupiscentia. - -  
 En Sicam illam subdolan Appetitus Irascibilis,  
 A tuis tuo jugulo jam jamque paratam subditis! - -  
 Quid jam agis miser? -- Quin: si me amas candidè,  
 Cor istud venenatum, hoc ipso transfixum pugione,  
 Parato hic jam igni non dubites committere: --  
 Cede! ostendam me. - -  
 Factum heroicum!  
 Te profectò solo dignum. - -  
 En! in foederis perpetui tesseram  
 Cor tibi jam reddo aliud, -- Cor, solam posthac sapiens sa-  
 pientiam.

DUETTO.

## DUETTO.

<p>1.          Sap. Gaude! error expiatus          Vetus fugat tædium:          Spir. Sentio: jam sum beatus:          Novum redit gaudium.          Sap. Prior tibi est ablatus;          Novum, reddo animum:          Spir. Appetitus est mastatus;          Cor relinquo pristinum.</p>	<p>2.          Spir. Sed quid tibi possum dare          Tanto dignum munere?          Sap. Potes saltem me amare?          Sufficit diligere:          Spir. Possum, &amp; mox stat probare: --          En, quàm prompte stringam te:          Sap. Nolim tibi hoc negare;          Jugiter at stringe me.</p>
---	---

## P A R S III.

## Theodoricus Punitus.

## SCENÆ.

- I. Theodoricus innocui sanguinis satur, Rusticianam, conspectis cæ-  
 forum capitibus animo lictam, aula ejici;
- II. Ac dein Convivium regia Magnificentia dignum adornari jubet;
- III. Quo durante Rusticiana, lacrymis usque indulgens, rursus eliminatur.
- IV. Nec diu Tyrannis hujusmodi inulta manet; Cœnanti quippe Tyran-  
 no cum miræ magnitudinis piscis infertur inter fercula, videtur  
 sibi conspicerè Symmachi caput, cujus minitante intuitu in rabiem  
 agitur,
- V. Et, recedentibus sensim furioso viribus, in lectulum defertur;
- VI. Ubi, ab interfectorum umbris in extremas angustias redactus, mi-  
 sero fato fungitur;
- VII. Quo comperto tota Aula versatur in luctu.

*Epitasis & Catastrophe Musica.*

Jupiter Hospitarius, fraudem ex appositis humanis carnibus subodoratus,  
 Lycaonis audaciam & immanitatem execratur, illumque pro merito  
 castigaturus in Lupum mutat.

B 2

PERSONÆ.

## PERSONÆ.

Lycaon. Præfectus Carceris. Jupiter. Chorus Comitum Jovis.

*Præf. Carc.* Rex! in æternum vive! - -  
 Jacent ambo Obsides:  
 Nostros illorum sanguine  
 Abunde ingurgitavimus mucrones; - -  
 Ad ignem quoque jam fumant Carnales hæ cupediæ,  
 Omni momento Jovis sepeliendæ abdomine.  
*Lycaon.* Factum bene: -- sic ipse mihi placeo;  
 Ex calentibus enim adhuc occiforum ossibus,  
 Modo plane commodissimo,  
 Thronus compaginatur regius: - - -  
 Et quis contra ausit mullitare?  
 Nemo; -- nec ipse Jupiter hoc mihi factum tentet improperare.

## ARIA.

<i>Sum Rex:</i>	<i>Nunquid?</i>
<i>Et quis me neget proprium</i>	<i>Hæc Vestis splendet regie,</i>
<i>Vitis, necisque Dominum?</i>	<i>Humano tincta murice:</i>
<i>Si possum Leges condere,</i>	<i>Quin: sic me colunt subditi:</i>
<i>Cur nequeam occidere?</i>	<i>Sic genu lument populi:</i>
<i>Ni extat Lex hæc: facio;</i>	<i>Non verbis do imperium;</i>
<i>Sum, hoc insuperhabito,</i>	<i>Sed meum vibro gladium,</i>
<i>Exles.</i>	<i>Et fit.</i>

Veniat ergo Jupiter: -  
 Mensarum nostrarum Parasitus veniat,  
 Et latranti stomacho  
 Regali hoc ferculo  
 Os tandem cupidulum obstruat! - -  
 Sed en! Lupus in fabula: - - -  
 Tu cito vola, minister! & cibos, & mensam appara! - - -  
 Jupiter,

*Jupiter.* Jupiter, Rex Regum, & Divum Pater, Orbis Rector, Regnique Moderator ætherei,

Suo salutem dicit Lycaoni: - - -  
 Placuit pro curæ Nostræ, & Supremæ Potestatis munere,  
 Subjectas Nobis terras, & te simul invisere: - -  
 Hospitium paraveris utique - - -  
 Tanto dignum Hospite? - - -

*Lycaon.* Insigni me mactas honore,  
 Hospes Gratosissime!  
 Jam diu adventum præstolatus tuum,  
 Paravi obsonium delicatissimum,  
 Refocillandis simul ex itinere viribus opportunissimum: - -  
 Et en! jam præsto est: -- Confide! bibe! epulare  
 Cunctorum idem Conditor, & nostri hujus muneris ipse Dator  
 liberalissime!

*Jupiter.* Bene est: sic Jovem grandi tibi devincies beneficio. - - -  
 Quid autem hoc? - - quali vos vescimini ferculo? - - -  
 Cujus hic nasus? - - Cujus labia? - -  
 Lingua hæc cujus? - - cujus auricula? - -  
 Cujus hic pollex cum istis digitis? - - -  
 Profecto: -- cuncta sunt hominis: - - -  
 Horresco: - - refugio: - - -  
 Humanas carnes nauseo. - -

## ARIA.

I.

Vah!

Vah! facinus dirum, scelestum, horrendum,  
 Immane, trux, ferum, funestum, tremendum!  
 Immoctas hominum carnes mactare,  
 Et ipsi vel Jovi hinc cœnam parare:  
 Qua mundi cœtate hoc fuit auditum?  
 Quis barbarum orbi invessit hunc ritum?

B 3

Lycaon,

*Lycaon, hæc struma, hic vomitus Regum,  
Hic Ganeo, Lurco, hic Lanio Legum:  
Quid? tanti hic sceleris artifex sit?  
Nec illum mox Jupiter perditum it?*

2.

Quin.:

*Quin vindico scelus (sint inferi testes) - - -  
In villos mox abeant tetricæ vestes: - - -  
In crura lacerti, & suræ nutentur: - - -  
In ungues & manus, & pedes curventur: - - -  
Sit Lupus: - - excululet: - - terra fundatur,  
Cruenta cum dape & mensa pascatur. - - -  
Flammivomum ruat ex cæthere telum, - - -  
Et regium istud exurat macellum! - - -  
Sic namque audaciam plectere stat,  
Cum ansam plectendi furori hæc dat.*

*Com. Jovis. Eja gaudeamus Socii!  
Jovique congratulemur nostro, æquissimo Tyrannidis Vindici.*

## CHORUS.

*Deorum Deus maxime!  
Per te ostensum hodie,  
Tyrannidis tandem quis exitus sit:  
Sic qui se per scvitiem  
Lupinum fecit hominem,  
In pœnam Humanus, En! Lupus jam fit.*

SYLLA-



## SYLLABUS ACTORUM.

*Theodoricus, Rex. Ornatiss. ac Doctiss. D. Casparus Schwab, Phil.  
Baccal. nec non SS. Theol. & SS. Can. Cand. Præcept. in Sem.*

*Boëtius } Prænob. Clemens Benno de Oesele. Rhet.  
& } Exconsules Romani.*

*Symmachus, } Prænob. Franc. Xav. Joan. Nep. de Delling. Rhet.*

*Athalaricus, Regis Nepos. Prænob. Josephus de Joner. Princ.*

*Amalafuntha, Regis filia, Vidua. Antonius Graff. Rhet.*

*Cyprianus } Ornat. ac Perdoct. D. Thomas Aquin. Greinwald, SS.  
& } Regis Consiliarii. Theol. Cand. Instr. in Sem.*

*Basilus, } Antonius Josephus Riondè. Gram.*

*Gaudentius } Franc. Xav. Kauffmann. Gram.  
& } Aulici.*

*Opilio, } Prænob. Max. Carolus de Dulac. Synt.*

*Rusticana, Boëtii uxor. Prænob. Carolus Albertus de Wilhelm. Synt.*

*Anicius } Nob. Matthias Carol. Philipp. Feuchtmajr. Gram.  
& } Boëtii filii.*

*Severinus, } Prænob. Godefridus Carolus de Kyrein. Rud.*




*Ricimerus } Franciscus Benedictus Enthard. Synt.  
& } Boëtii famuli.*

*Gesnericus, } Joannes Jacobus Reismajr. Rud.*

*Ardaburius, Carceris Præfectus. Antonius Wolfgangus Prumer.  
Synt.*

PERSONÆ



PERSONÆ MUSICÆ

*In Protasi, Epitafi, & Catastrophe.*

*Jupiter.* Ornatiff. ac Doctiff. D. Casparus Schwab &c. ut supra  
*Theodoricus.*

*Lycaon.* Christianus Aloyf. Weber. *Rhet.*

*Præfectus Carceris.* Joannes Nepom. Walfer. *Gram.*

*Comes Jovis.* Franc. Xaver. Schreyer. *Princ.*

*In Apodofi.*

*Sapientia.* Franc. Xav. Gerbl. *Gram.*

*Spiritus Principum.* Joan. Nepom. Walfer, Idem qui supra *Præf. Carc.*

*Appetitus Concupiscibilis.* Andreas Promperger. *Princ.*

*Appetitus Irascibilis.* Josephus Ignatius Ernst. *Rud.*

*Lycaonis Aulici & Comites Jovis.*

Joannes Georg. Enthard, *Synt.* Josephus Widmann, *Synt.* Jacobus Schwab, *Gram.* Joan. Michael Träxl, *Gram.* Andreas Hözl, *Gram.* Franc. Xav. Schlögl, *Rud.* Dominicus Strobl, *Rud.* Andreas Fischer, *Princ.* Sebastianus Braun, *Princ.* Joannes Georgius Jochner, *Princ.* Joannes Hözl, *Princ.* Joannes Reindl. *Princ.* Joannes Thomas Walfer, *Princ.*

*Salii.*

Joannes Jacobus Schilcher, *Gram.* Joannes Nepom. Berchtold, *Rud.* Sebastianus Busjeger, *Princ.* Jacobus Antonius Mack, *Princ.* Josephus Harpf, *Princ.* Franc. Xav. Scherer, *Princ.* Josephus Schelle, *Princ.* Franc. Seraph. Fürböck, *Princ.*

